

8.54.6

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Calpurniae Aristaenetae.*

Nec ambigi oportet donationes etiam inter absentes, maxime si ex voluntate donantium possessionem ii quibus donatum est nanciscantur, validas esse.

*PP. III id. Febr. Mediolani Maximo II et Aquilino consss.*

[a. 286]

8.54.7

*Idem AA. Iulio.*

Censualis quidem professio domino praeiudicare non solet, sed si in censum velut sua mancipia deferenti privigno tuo consensisti, donationem in eum contulisse videris.

*PP. id. Iul. ipsis AA. IIII et III consss.*

[a. 290]

8.54.8

*Idem AA. Florae.*

Si praeses provinciae non donandi voluntate filiorum tuorum nomine praedia in censum detulisse te manifestis probationibus cognoverit, quod fides veri suggesserit, statuet.

*PP. VIII id. Sept. ipsis AA. IIII et III consss.*

[a. 290]

8.54.9

*Idem AA. et CC. Augustinae.*

Legem, quam rebus tuis donando dixisti, sive stipulatione tibi prospexit, ex stipulatu, sive non, incerto iudicio (id est praescriptis verbis) apud praesidem provinciae debes agere, ut hanc impleri provideat.

*PP. XVI k. Mai. AA. consss.*

[a. 293]

8.54.10

*Idem AA. et CC. Hermionae.*

Nec ignorans nec invitus quisque donat, unde si de hoc fundo non cogitasti, cuius velut donationi consensisse continetur instrumento, maiores veritate rei quam scriptura vires obtinente intellegis, de quo non cogitasti nec specialiter subscriptisti, nihil te perdidisse.

*S. V k. Mai. AA. consss.*

[a. 293]